





3,426. 9  
1772 873.

PROLVSIO ACADEMICA  
DE  
LICINIO RVFINO  
IVRISCONSVLTO ROMANO  
LECTIONIBVS SVIS

PER HOC SEMESTRE AESTIVVM  
INSTITVENDIS

PRAEMISSA

— AB

HENRICO IOANNE OTTONE KOENIG

I. V. D.



---

HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS CVRTIANIS.

1772.

PROFVSIO ACADEMICA  
DE  
L. C. I. N. I. O. R. V. F. I. N. O.  
I. V. R. I. C. O. N. S. I. T. O. R. O. M. A. N. O.  
R. E. C. T. O. R. I. B. U. S. E. I. U. S.

I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. M.  
I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. M.

I. N. S. T. I. T. U. T. I. O. N. E. M.





DE  
LICINIO RVFINO  
IVRISCONSVLTO ROMANO.

---

*Instituti ratio.*



uamquam nemo facile negabit, notitiam Iuris-  
consultorum,<sup>a)</sup> legitimae scientiae cultoribus  
magnam afferre vilitatem; recte tamen mihi quidem sentire vi-  
dentur ii, qui veterum potissimum Iurisconsultorum, ex quorum

A 2

scriptis

<sup>a)</sup> Hanc disciplinam, quae pars est historiae litterariae iuridicae, optime  
tradidit Vir Illustris DAN. NETTEBLADT, Praeceptor quondam  
meus ad cineres vsque pie colendus, in *Initiis Histor. litter. iurid. uni-*  
*uers.* pag. II. • 166.

scriptis magnificum Digestorum opus compositum est, accuratiorum pleniorumque cognitionem solidioris Iurisprudentiae studiosis apprime vtilem, immo necessariam esse dicunt. Nihil enim magis confert ad leges Pandectarum dextre feliciterque intelligendas, quam scire cognitumque habere, quis cuiusque auctor sit, qua aetate vixerit, quibus doctrinis imbutus fuerit, quid scripserit et quae sunt reliqua, quae ad vitam eorum pertinent. Quae cum ita sint, laudabilem profecto laborem susceperunt viri docti, qui vitas veterum Iurisconsultorum scripserunt, quorum catalogum texere nec huius loci est, nec angusti scriptio- nis nostrae limites permittunt. Verum enim vero reperiuntur adhuc nonnulli nec incelebres Iurisconsulti, quorum vitas non- dum satis accurate diligenterque expositas esse constat: e quorum numero quoque est LICINIUS RVFINVS. Itaque quum sta- tuissem, aliquid hoc tempore scribere, quo VOBIS, COMMILITONES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, lectiones meas, quas per hoc semestre aestiuum habiturus sum, publice indicare decreueram; haud male me operam collocaturum existimaui, si quae passim apud scriptores tum veteres tum recentiores de LICINIO RVFINO Iurisconsulto Romano legi atque notaui, ea colligerem

ligerem, deque vita eius atque scriptis paullo vberius exponerem.

§. I.

*De nominibus Rufini.*

Iam primum igitur, vt a nominibus initium faciamus, in *L. 4. D. quib. ad lib. procl. non licet.* haec nostri eduntur nomina: LICINIVS RVFINVS. Ita recte quidem legitur et sic quoque exhibent praestantiores editiones veluti GREG. HALOANDRI et LVD. RVSSARDI. Interim varie scripta inueni ista nomina. In quibusdam enim editionibus, vt et in Codice Florentino, quem edidit LAEL. TAVRELLVS, scriptum est: LICINIVS. Sed perperam obseruante ANT. AVGVSTINO in opere praeclaro *de Nomin. propr. Pandect. pag. 189. lit. a.* Nam veteres simplici consona expresserunt, vti legere est in Fastis Capitolinis et in nummis: estque syllaba ista correpta, vtpote deriuata ἀπὸ τοῦ *Licinus* λικίνου. Conf. ABR. WIELINGIVM in *Ind. ICtor. pag. 91.* Et sic quoque rectius legitur RVFINVS, ex auctoritate vetustorum monumentorum, quam RVFFINVS, quemadmodum nonnullae exhibent editiones. IAC. CVIACIVS

in *Obs. Lib. XII. cap. 35.* eum vocat LICINIUM RVFINIANVM;  
verum si quaeras, quo auctore, eum additum non reperies.

Nomen LICINII gentilitium est. Praeclaram olim Romae fuisse gentem Liciniam, dubitare nos non patiuntur rot viri celeberrimi huius nominis, quibus, nescio, vtrum meritorum de republica magnitudo, an honorum, quibus functi sunt, dignitas maiorem praebuerit splendorem. Quis ignorat P. Licinium Crassum, a quo lata videtur lex Licinia sumtuaria, cuius sanctiones recensent MACROB. *Saturnal. III. 17.* GELL. *Noct. Attic. II. 24.* Quis porro non nouit L. Licinium Crassum Oratorem, qui cum Q. Mucio Scaeuola Consul fuit A. V. DCLIX. a quibus rogata est lex Licinia Mucia de ciuitate, siue de ciuibus regundis, vti a Cicerone vocatur *pro Corn. maiest. reo.* Add. CIC. *Brut. c. 16.:* cui consuli Licinio Crasso auctori quoque attribuenda est lex Licinia, qua cautum, ne ei, qui de aliqua curatione et potestate ferret, collegis, cognatis, affinibus eam potestatem curationemue mandare liceret. Vid. CIC. *Agr. II. 8. dom. c. 20.* Cui denique ignotus est L. Licinius Murena, a quo et D. Iunio Silano Coss. lata est lex Licinia Iunia, qua lex Caecilia Didia, de trinundino, nouis seuerioribusque poenis sancita



7

cita esse legitur apud CICERONEM *Phil. V. 3.* Atque hos nominasse sufficiat: plures esse Licinios scimus: verum omnes commemorare instituti nostri ratio prohibet. Quomodo autem Iurisconsultus noster nomen illud gentile nactus fuerit, merito quaeritur. Vtrum nimirum ex gente illa Licinia ortus fuerit, an vero ei impositum sit secundum morem priscum, quo antiquissima gentium et praecipue illustrium nomina, quae in usu esse defecerant, ex omni vetustate deligerent, iisque filios suos ornarent, licet ipsi reuera ab illis, quorum nomen repeterent, progeniti non essent, ut auctor est IAC. PERIZONIUS in *Animaduers. hist. Cap. III.* Difficile illud quidem est definitu, sed verisimillimum, hac posteriori ratione ei contigisse nomen Licinii, quemadmodum Caluos quoque et Stolones in gentem Liciniam relatos esse obseruat doctissimus PERIZONIUS *loc. cit.* Praenomen an et quale habuerit, compertum non habemus: cognomen autem certissimum est. Nec hoc in celebre nomen fuisse constat. Ut aliquos tantum commemorem, qui hoc nomen gesserunt, CALLISTRATUS in *L. 3. §. 3. D. de testib. A.* Iunii Rufini meminit, qui Praefectus fuit Macedoniae et A. V. 906. cum Bruttio Praefente consulatum functus est. Vid. GRVTERI *Thes. Inscript. p. 300.* Deinde in

L. 4.

L. 4. D. de Off. Praef. vig. memoratur Iunius Rufinus, qui Praefectus  
 ctus vigilum fuit temporibus Imp. Seueri et Antonini. Porro  
 alius fuit M. Marius Titius Rufinus, quem A. V. 950. cum La-  
 terano consulem fuisse legimus apud GRUTERVM in *Thef. Inscript.*  
*pag. 46. n. 9. et 51. n. 1.* Ab his autem diuersus est RVFINVS no-  
 ster, quod non animaduertit Ampl. Praefes IOAN. BERTRANDVS  
*de Iurispr. Lib. I c. 35.* qui hos quatuoruiros supina negli-  
 gentia confundit. Conf. EV. OTTO in *Praef. ad Tom. I. Thef.*  
*Iur. Rom. pag. 38.*

Ceterum, quod ad patriam LICINII RVFINI attinet,  
 eam prorsus ignoramus: aequae incogniti sunt eius parentes. Pu-  
 tat quidem IOAN. BERTRANDVS *loc. cit.* A. Iunium Rufinum  
 patrem RVFINI nostri fuisse; sed GVIL. GROTIUS *de Vit. ICtor.*  
*Lib. II. c. XII.* iam monuit, nihil certi de hac re pronuntiari  
 posse, cum plures circa ista tempora inueniantur Rufini; quid?  
 quod ne probabile quidem illud videtur, si temporum rationem  
 habueris.

§. II.

*De aetate Rufini.*

Quod de aetate veterum Iurisconsultorum disputaturis saepenumero contingere solet, ut aetatem, qua vixerunt, accurate definire nequeant, id et nobis accidit de aetate LICINII RUFINI dicturis. Vixit aut floruit potius temporibus Imp. Alexandri Severi. Colligimus hoc satis manifeste ex illo loco, quem supra iam allegauimus *L. 4. D. quib. ad lib. procl. non lic.* vbi hic notiter Iulium Paulum per epistolam consuluit: quemque vnicum locum esse, quo illius exstat memoria, coniicit GVIL. GROTIUS *de Vit. Ictor. Lib. II. c. XII.* Incidit itaque RUFINVS in eam aetatem, quo summa adhuc erat Iurisconsultorum auctoritas, celeberrimisque Roma abundabat Iurisperitis. Post Alexandrum enim quasi conticescere visa sunt Iurisprudentiae oracula: nullosque fere vel paucissimos reperimus Iurisconsultos, qui aliquo numero fuerint vel ad posteros clari. De qua re pluribus conf. IO. AVG. BACHII *Hist. Iurispr. Rom. pag. 466. seq.*

## §. III.

*De litterarum studiis atque eruditione Rufini.*

Progrediamur nunc ad alia et dispiciamus, quantum de studiis atque eruditione RUFINI sciamus, aut coniectura assequi possimus. De ipsius educatione nihil quidem constat; attamen dubium non est, quin studiose in bonas artes incubuerit. Idque tum ingenii monumenta, quae supersunt, testantur, tum ex eo facile colligi potest, quod in illa tempora incidit ipsius aetas, quibus litterae summopere apud Romanos colebantur. Hinc eum eodem studiorum ordine, quo plerique vsi sunt Iurisconsulti, ad ciuilem sapientiae gloriam ascendisse, merito existimamus. Quemadmodum porro Iurisconsulti Romani philosophiae erant amantissimi, illius inprimis, quae a porticu nomen habet, quippe quam studio suo maxime conuenire arbitrabantur; ita quoque Iurisconsultus noster huic deditus fuisse videtur. At praecipuum studium, cui se consecrauerat, erat Iurisprudencia. In qua addiscenda quo magistro vsus sit, memoriae proditum non inuenimus. GYIDO PANZIROLLVS *de Clar. Leg. Interpret. Lib. I. c. LXII. pag. 59.* conicit, huius institutionis laudem pertinere ad Iulium Paulum, omnium veterum Iurisconsultorum

πολυγλω-  
σσώτα


Φώτατον illum; nec temere reiiciendam putarem hanc coniecturam. Sectae cuidam Iurisconsultorum nomen dedisse haud videtur, quum ea aetate vixit, qua Iurisconsulti herciscundi erant. Conf. IO. SAL. BRVNQVELLI elegantissimam *Prol. de ICTis herciscundis*. Ien. 1728. quae ob raritatem inserta est den Hallischen Beytraegen zur jurist. gelehrt. Histor. Vol. 3. P. II. pag. 503-552.

Latinitas RVFINI est latinitas suae aetatis. Ceterum de latinitate veterum Iurisconsultorum vniuerse conferri merentur GE. CASP. KIRCHMAIERI dissertationes, quae ob singularem prorsus raritatem proximis nundinis Lipsiensibus iunctim prodibunt cura Viri Ampl. atque Excell. GE. SAM. MADIHNII, Praeceptoris quondam mei aetatem pia mente colendi, et CAR. ANDR. DVKERI *Opusc. de latinitate ICT. vet. Lugd. Bat. 17u. 8.*

§. IV.

*De honoribus et auctoritate Rufini.*

Summa ac splendidissima munera publica veteribus Iurisperitis saepe delata fuisse, notissimum est. De honoribus RVFINI nihil constat. IOAN. BERTRANDVS *de Iurisp. Lib. I. c. 35.*



ei quidem varios attribuit honores: sed supra iam monuimus, BERTRANDVM diuerfos confundere Rufinos.

Auctoritatem RVFINI non exiguam fuisse oportet. Quamuis enim semel tantum citetur, a PAVLO scilicet in *L. 4. D. quib. ad lib. procl. non licet*; attamen vel ex eo cognosci potest, quanta fuerit ipsius auctoritas, quod ex eius libris fragmenta in Digesta translata sint, in quae eorum tantum responsa inferri iussit Imperator Iustinianus, quorum scripta in foro erant vsitatissima.

§. V.

*De scriptis Rufini.*


Iam, quod in vitis doctorum hominum enarrandis praecipuum merito putatur, de scriptis RVFINI exponamus. Scripsit Regularum libros. In Indice Iurisconsultorum et librorum, e quibus compositum est Pandectarum opus, qui Florentino exemplari praefixus est, haec leguntur:

Ρουφινου

Regularion βιβλια δεκαδυο.

Sunt

Sunt autem regulae breues positiones seu enuntiationes, quibus, quid quaque de re iuris fit, breuiter exponitur. Quales libros plures veterum Prudentum composuerunt. Sic enim Caius librum singularem Regularum, Ceruidius Scaeuola libros quatuor, Marcianus libros quinque, Modestinus libros decem, Neratius libros quindecim, Paulus libros septem et librum singularem, item Vlpianus libros septem et librum singularem ediderunt. Hos autem, quos RUFINVS scripsit, libros Regularum numero duodecim fuisse, ait auctor Indicis Florentini. Attamen citatur liber tertiusdecimus in inscriptione *L. 34. D. de re iud.* Alterum locum mendosum esse vult AEG. MENAGIVS in *Amoenit. Iur. ciu. cap. VII.* forsitan autem fuit liber singularis, ex quo sumta est *d. L. 34. D. de re iud.* qui libris duodecim aliquando adnumerabatur. Ita conicit FR. C. CONRADI in notis ad *L. TH. GRONOVII hist. Pand. autb. pag. 169.* Fragmenta XVIII. quae ex his libris in Paudectis supersunt, recensuit LABITTVS in *Ind. leg. Conf. WIELINGII Iurispr. restit. pag. 245.* Restituit etiam illa ordini suo Vir Illustris et Celeberrimus C. F. HOMMELIVS in *Palingenes. Iur. Tom. II. p. 399. seq.*: interpretationem eorum dabimus alio tempore. De aliis ipsis scriptis nihil compertum habemus.



At quaeritur, vtrumne auctor sit libri, qui Collationis Legum Mosaicarum et Romanarum nomine circumfertur. Edita est primum haec collatio a PETR. PITHAEO ex bibliotheca Mandubiorum, in qua per annos octingentos et amplius latuerat, anno 1572. Lutetiae in 4. notis eruditis illustrata, et postea saepius, imprimis ab ANT. SCHVLTINGIO in Iurispr. Anteiust. cum notis elegantissimis pag. 727. recusa est. Nouissime autem praestantissimo commentario eam illustravit Vir ingenio et doctrina imprimis huius seculi Iurisconsultis conspicuus HERM. CANNEGIETER, qui ita inscribitur: *Commentarius ad Fragmenta veteris Iurisprudentiae, quae exstant in Collatione Legum Mosaicarum et Romanarum*, et Franequerae apud Iac. Brouwer 1765. in 4. prodit. Sunt, qui LICINIUM RVFINVM ICRUM nostrum auctorem dictae collationis esse statuunt, nominatim IAC. CVIACIVS in *Obs. Lib. XIV. c. IV. Lib. XXI. c. XI. et in Recit. ad Paul. Quaest. Lib. XII.* quem multi alii secuti sunt. Et ratio, qua haec nititur opinio, ea est. Refert P. PITHOEVUS in Praef. suae editionis, se meminisse, IO. TILLIVM, cum de veterum Iurisconsultorum reliquiis sermo fuisset, narrare solitum, se habuisse aliquando eius operis fragmenta pauca, quibus ille Licinii Rufini nomen tribuebat. Nomen quoque

LICI-




LICINII RVFINI illi praepositum esse in editione, quae Gene-  
 uae anno 1586. prodiit, auctor est ANT. SCHVLTINGIVS in *Iu-  
 vispr. Anteuß.* pag. 727. n. 1. Sed hanc opinionem falsam esse,  
 iam satis superque ostenderunt Viri eruditissimi PET. PITHOEVS,  
 IAC. GOTHOFREDVS, AEG. MENAGIVS, HERM. CANNEGIE-  
 TER et alii. Assentiendum potius est illis, qui auctorem huius  
 libri incertum esse adserunt. Ridicula sane est coniectura IMBONATI,  
 qui ab ipso PITHOEO illud elucubratum et pro veteri venditatum  
 esse existimat. Vid. FABRICII *Bibl. lat. Lib. IV. pag. 870.* Mo-  
 nachum fuisse scriptorem putat MARQ. FREHERVS in *Parevg. Lib. IV.  
 cap. IX.* sed nec hoc habet, quo nitatur. Auctori nomen fuisse Lici-  
 nius Rufinus, licet alius fuerit quam Iureconsultus noster, statuit  
 AEG. MENAGIVS in *Amoenit. Iur. Ciu. cap. cit.* De aetate,  
 qua liber hic conscriptus est, censent plerique, eum seculo quinto  
 compositum esse.

Denique illud adhuc monendum, quod nonnulli putarunt,  
 LICINIVM RVFINVM Christianum fuisse. Factum inde est, vt NIC.  
 HENELIVS in *Comment. de vet. ICT. p. 222. n. XXXX.* in ICTum  
 nostrum sequentes versus composuerit:

Inter prudentes haut vitam inglorius egi:

Christum idem noui. Caetera facta latent.

Hi



Hi autem fere sunt, qui eundem auctorem Collationis Legum Mosaicarum et Romanarum esse statuunt, utpote quem Christianae religioni addictum fuisse admodum probabile est. Conf. ANT. TERRASSON *hist. de la Jurispr. Rom. pag. 280.* Quare et hanc sententiam falsam esse, facile intelligitur.

Atque haec sunt, quae de LICINIO RUFINO, Iureconsulto Romano, non choryphaeo illo quidem, sed et ex splendidissimo prudentum choro haud infimo, commentari placuit.

Restat, ut VOBIS,

COMMILITONES

OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI,

IURIVM CVLTORES AESTVMATISSIMI,

lectiones meas per hanc aestatem instituendas significem. Omni, qua par est, fide atque industria

I) Horis VIII. IX. et II. III. *Ius Pandectarum* duce LVDOVICI tradam. Deinde

II) *Collegium examinatorium in Pandectas* habeo. Denique

III) *Collegium disputatorium* aperiam.

Me igitur laboresque meos, ut vos, COMMILITONES AESTVMATISSIMI, benevole excipiat, meque Vestro fauori semper habeatis commendatissimum etiam atque etiam rogo. Valere, resque

Vestras agite feliciter. Dabam Halae in Regia Fridericana

ad d. XIV. April. A. O. R. MDCCCLXXII.

ULB Halle


3

002 169 592



sb







3,426.9  
1772 873

PROLVSIO ACADEMICA  
DE  
LICINIO RVFINO  
IVRISCONSVLTO ROMANO  
LECTIONIBVS SVIS

PER HOC SEMESTRE AESTIVVM  
INSTITVENDIS

PRAEMISSA

AB

HENRICO IOANNE OTTONE KOENIG

I. V. D.



HALAE MAGDEBVRGICAE  
LITTERIS CVRTIANIS.

1772.

